





24.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA 1705, 5  
DE

IMPIETATE 14  
MAGNO SAPIEN-  
TIÆ IMPEDIMENTO

QVAM

D. O. M. annuente

IN ACADEMIA JULIA

PRÆSIDE

9598.  
CORN. DIET. KOCH

PHIL. PR. ET LOG. PROF. P. O.

Publicæ Eruditorum disquisitioni

Ad d. XX. MAJI MDCCV.

IN IVLEO MAJORI

subjiciet

AVCTOR & RESPONDENS

HENRICVS JOACHIMVS KONIG

Hulderfa - Hannoveranus.

HELMSTADII

Typis Georg-Wolffgangi Hammii, Acad. Typogr.



DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE

IMPIETATE  
MAGNO SAPIEN-  
TIE IMPEDIMENTO

QUAM

D. O. M. ANNUNCIAT

IN ACADEMIA PAVIA

PRÆSIDI

CORN. DIET. KOCH

PHIL. PR. ET LOG. PROF. P. O.

Publicæ Eruditionum discipulum

AD A. XX. MAJ. MDCCCLV.

IN PAVIA MAIORI

subjicit


AVCTOR & RESPONDENS

HENRICVS JOACHIMVS KONIG

Holstern-Hannoveranus.

HELMSTADII

Typis Georg. Wolfgangi Hamannii, Acad. Typogr.



230



VIRO  
REVERENDISSIMO DOMINO  
DOMINO  
GERHARDO  
LIBERI ATQVE IMPERIA-  
LIS COENOBII LVCCENSIS  
ABBATI  
CONSISTORII ET ECCLE-  
SIARVM TOTIVS ELECTORATVS  
HANNOVERANI  
DIRECTORI SVPREMO  
NEC NON  
DVCATVS GRVBENHA-  
GENSIS ET GÖTTINGENSIS  
PRIMATI

);(

Domi-

**Domino Patrono ac Promotori suo**  
quovis pietatis cultu  
*aternum devenerando,*

**Hanc Philosophicam Exercitationem**  
velut Specimen Academicum  
ea, qua par est, observantia  
*offert & consecrat*

**HENRICVS JOACHIMVS KÖNIG**  
Auct. & Respondens.

*Reve-*

*Reverendissime Domine*  
*Mæcenas æternum devenerande,*

**C***Um Tu semper sis occupatissimus, diesque omnes et  
horas in Ecclesie rei que publicæ negotia impendas,  
excuses velim meam audaciam, si incomtis his lite-  
ris a gravioribus negotiis Te avocavero. Quæsieram diu  
occasionem, qua Tibi potissimum me insinuarem, et suppe-  
ditavit illam mihi conscripta philosophica dissertatio, quam  
Reverendissimo Nomini tuo commendare sum ausus. A quo  
proposito cum me aliquantum retraxerit pudor, quod et ni-  
mis leve, et non satis dignum tanti VIRI persona videba-  
tur opusculum, nihilominus confisus Tuo in humaniora stu-  
dia prolixo affectu, illud confeci, Tuumque, Vir Reverendis-  
sime, Nomen ei præfixi: Imitatus exemplum illius Persæ,  
qui cum nihil haberet aliud, quo Regem suum donaret, ma-  
num aqua repletam ipsi obtulit. Nota profecto est tua hu-  
manitas, qua omnes clientes tuos sincero coram Te comparen-  
tes animo, complecti soles. Quemadmodum autem omnia ibi  
esse malunt, ubi illis bene est, sic mee Musæ tanta humani-  
tate auctoritateque Virum, sui Patronum ac fautorem qua-  
runt. Tu enim patriæ et Ecclesie nostræ columen, Tu  
Musarum præsidium, Tu divinarum humanarumque  
): ( 2 sci-*

Scientiarum Patronus ac promotor praeclarus existis.  
Quae, cum scribere mihi ipsa Veritas praecipiat, rogo Te,  
Vir Reverendissime, magno opere, ut benevolo ac-  
cipias vultu hoc quaecumque studiorum genus Nomini  
Tuo consecratum, Tuoque (quo alios consuevistis) patrocini-  
nio ac favore me meaque studia, quae unice dirigenda atque or-  
nanda Tibi trado, prosequi ne dedignere. Quae in re si Tu  
tanquam beneficum fidus mihi affulseris, portum ac metam  
votorum meorum satis mihi videor affecutus. Ac videor  
mihi videre tempus, quo in hoc virtutis & bonarum artium  
certamine Te duce, triumphas agam. Interea quicquid  
industriæ, virium, quicquid ingenii (quod quam exiguum sit,  
lubens agnosco) in me erit, illud eo conferam omne, ut  
tua Reverendissima Dignitas qualibet gratæ mentis officia  
a me expectare possit. In primis autem D. O. M. preci-  
bus orabo assiduè, ut Te in patriæ ac totius Ecclesiæ ortho-  
doxæ emolumentum salvum diu ac incolumem conservet.  
Vale, Vir Reverendissime, & huic confidentiæ aut po-  
tius temeritati meæ veniam prolixè dare,  
haud gravare.

Reverendissimi Nominis Tui

Cultor perpetuus

H. J. König.







I. N. D.

CAP. I.

# ΕΞΗΓΗΤΙΚΟΝ

Seu quo

Impietatis vocabulum fusius explicatur.

SVMMMARIA.

Prooemium, quo causa corrupta philosophiae exponitur §. I.

Idologia species quadam enumerantur §. VII.

Brevis Impietatis Etymologia §. II. Impietatis voc. ab homonymia liberatur, ipsumq; definitur §. III.

Atheismus theoreticus consideratur §. VIII. Practicus §. IX.

Impietas in duas partes dividitur, quarum altera in quatuor species Cacozeliam sc. Heresim, Idologiam & Atheismum, distributa consideratur, §. IV.

Alterum Impietatis genus, quod in perverso Dei cultu consistit, & quidem quatenus hic in defectu peccetur, expendit §. X.

Scorsim Cacozelia cum aliquot ejus partibus expenditur §. V.

In excessu quomodo circa cultum divinum peccetur tradit §. XI.

Constitutiva quadam hereseos ponuntur §. VI.

Superstitionis potissima capita agnoscuntur §. XII.

§. I.



Consideranti mihi diuque quaerenti, quae causa esset adeo depravatae apud plerosque tam veteres quam recentiores philosophiae, tan-

A

torum-

torumque in ea errorum ac dissensionum, inter alias haud postrema mihi occurrit impietas perversusque multorum de Deo sensus. Equidem non ignoro, dari aliquos, qui philosophi munus in eo saltem versari putent, ut subtiliter de rebus omnibus, v.g. Entitatibus, hecseitibus, quidditatibus, formalitatibus aliisque inutilibus notionibus disputare, quin & novas, uti B. Meisnerus loquitur, monstrosasque sententias magno numero parturire possit, nullum vel ad pietatem vel ad vitam philosopho dignam habendo respectum. Verum quid de tali sentiendum sit philosopho, qui nudam tantum habet scientiam a praxi autem alienissimus est, Cicero egregius ille Philosophus nobis manifestat, quando tales *δαίμονες* seu scientes (dummodo vere scientes appellandi) turpes vocat (a) dicens: *Philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cuius Magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus delinquit in vita. It. Turpissimum mihi esse videtur, si cum vita philosophi mirabiliter pugnet oratio.* Quapropter haud inutilem me facturum operam esse duxi, si argumentum hoc paulo fusius tractarem, & impietatem maximum veræ sapientiæ in philosopho esse impedimentum, dissertatione aliqua ostenderem.

§. II. Impietatis autem vocabulum ratione derivationis nihil aliud notat, quam vitium pietati oppositum. Nam particula *Im* vel *In* cum qua compositum est, in plerisque hujus generis compositis negandi, sive contrarium ejus, quod in simplici erat, asserendi vim habet: Velut immisericordia negat misericordiam,

(\*) L. 2. Tusc. quest. p. 195.

am, immodestia oppositum modestiæ vitium significat, imperitia peritiam removet, ejusque contrarium ponit. Sed hæc cuivis facile constant.

§. III. Præterea non intelligimus hic per Impietatem ingratham illam in patriam parentes & quosvis sanguine conjunctos voluntatem, quam Cicero in opposito hujus pietate eleganter depingit (b) Quomodo testamentum inofficiosum (in quo exheredati vel præteriti, qui ex officio pietatis non debebant: *pr. J. de inoff. test.*) impium vocatur (c) Neque etiam eo accipimus sensu, quo considerationis est mere theologicæ, nec nisi e sola revelatione divina nobis innotescit. Sed consideramus impietatem hac vice, prout philosophicæ est tractationis & vel *neglectum* vel *contentum* divini Numinis notat, quando scilicet Deum non recte cognoscimus, aut cognitum debito honoris cultu non prosequimur.

§. IV. Hinc facile patet duas impietatis esse partes, alteram quæ Deum non recte agnoscit, alteram, quæ eundem non recte colit. Prioris quatuor facit membra Insignis Philosophus Geulingius (d) Cacoze- liam scil. Hæresin, Idolologiam & Atheismum. Cacoze- liam eam esse dicit, cum quis ex imprudenti ali- quo zelo tribuit Deo, quod ei non convenit. Hæ- resin hanc esse arbitratur, quæ Deo demit & aufert quod ei competit. Idolologiam finit, cum creatu- ræ alicui tribuimus, quod Deo proprium est. Atheis- mum denique in eo putat consistere, cum Deus ipse tollitur, & attributa ejus in brutam aliquam naturam referuntur.

A 2

§. V.

(b) Or. pro Cn. Planc. nec non l. 2. de Invent.

(c) V. B. Schvvel. Eth. §. 183.

(d) Tract. II. Ethic. f. III.

§. V. Nos jam de singulis seorsim acturi videbimus, quænam Cacozelia suo complectatur ambitu. Cum igitur omnes qui intempestivo aliquo zelo seu æmulatione Deo tribuunt, quæ nullatenus in eum cadunt, κακοζηλοι nominentur, facile patet, omnes eos impietate laborare, qui Deo enti summe perfecto corpus corporeamque figuram assignant, cum mens longe sit præstantior & perfectior corpore. Impii sunt, quotquot Deo tribuendam esse mortalitatem, mutabilitatem aliasque imperfectiones autumant, exinde, quod Deus alias nequeat esse omnipotens; hoc lubrico nixi fundamento, cum qui omnia possit, posse etiam mori, mutari cet.

§. VI. Cum impietatis haud exigua quoque sit species, quæ Deo demit & aufert, quod ei competit, atque idcirco Hæresis vocatur, liquet, omnes eos impios esse, qui vel attributa v. g. omnipotentiam, omniscientiam, immortalitatem cet. vel opera divina v. g. creationem, providentiam seu curam rerum humanarum ab ente perfectissimo removent: Impii etiam illi sunt, quotquot justitiam Dei labefactare volunt, dicentes, nullam neque remunerationem neque poenam post hanc esse vitam, qui tamen ab aliis Deistæ vocantur. A Pontificiis hæresis vocabulum tam late sumitur, ut neminem mortalium hodie invenire liceat, qui pontifice iudice crimen hæreseos effugiet. Quisquis enim S. Scripturam lingua vernacula legerit, vel purgatorium negaverit, vel angelos esse corporeos, imaginesque Evangeliiis æquiparandas esse contra Conc. Nic. II. Sess. 4. 5. 6. inficiatus fuerit, statim hæreticus penes Papicolas audit. (e)

§. VII.

(e) V. Laur. Banck de Tyr. Papæ diaſceps. p. 510. sq.

§. VII. Non solum dantur, qui Deo auferunt, quod ipsi competit, sed porro inveniuntur etiam, qui sanctissimo ablata Numini substantiæ cuidam creatæ tribuunt, & propterea Idolologiæ crimen incurrunt. Tales sunt v. g. qui cultu religioso vel bonos vel malos angelos prosequuntur, ut Chineses, Mexicani alique (f) item qui sanctos demortuos invocant opemque eorum implorant. Ejusmodi fuere, qui idola & impotentes truncos adorarunt, His assignandi omnes, qui hoc uniuersum Deum esse clamitant, fortuitoque atomorum concursui creationem mundi adscribunt. In horum etiam numero sunt illi, qui æternitatem Dei naturæ mundanæ tribuunt.

§. VIII. Atheismum quod attinet, sciendum, eum (prout eruditi animadvertunt) esse duplicis generis, theoreticum & practicum. Et quidem *contemplatiuum* Atheismum raro reperiri dicit Illustris Baro de Verulamio (g) Cum enim omnes omnino homines innatam quandam entis summe perfecti habeant ideam, *nulla gens tam fera, nemo hominum tam est immanis* (ut verbis Ciceronis utar) *cujus mentem non imbuerit Deorum opinio.* Vnde tamen non sequitur, plane nullum theoretice dari atheum, sed non tam frequentes eos esse, quam practice tales. Deinde si athei vocem strictissime capias pro eo, qui ne ideam quidem aut perceptionem aliquam mentis de Deo, licet inuitus, habeat, dicimus, plane non dari atheum. Atheismus enim labiis tantum insidet, cordi autem minime, quod Eruditissimus Baro de Verulamio in loc. cit. probat. Hujus theoretici Atheismi, ut & totius fere impietatis

A 3

potiora

(f) V. M. Hoffmanni Vmbr. in luc. p. m. 76. sqq.

(g) Serm. Fidel. p. m. 78.

potiora capita enumerat Philaretus in Dedicazione Ethices Geulingianæ, ubi pluribus hæc legi possunt. Hoc igitur Atheismi vitium κατ' εἰσὶν impietas vocatur Plutarchus (b) ita vocat, dicens, quod sit impietas prave sentiens, nihil esse beatum, nihil interitus expers, animoque quendam videatur stuporem inducere negatione numinis, finisque non credendi Deum esse.

§. IX. Atheismus practicus præsertim hic notandus venit, estque talis impietas, qua quis Deum quidem ore profitetur, vita autem & factis eundem negat. Hoc sensu omnes prave & contra legem Dei viventes sunt athei. Cum etiam ipsa suggerat ratio, tempus aliquod divinis beneficiis expendendis nobis esse destinandum, terrestribusque & mundanis cogitationibus tandiu abstinendum ut mentem Deo puram & a curis mundanis alienam asserere possimus; merito omnes sunt athei, quicumque vel nunquam vel raro de Deo cogitant, sed semper vanis mundi negotiis sunt irretiti. Cum autem avaritia effrenis illa divitiarum cupiditas quam Paulus ἐξάντησιν τῶν κερῶν vocat 1. Tim. VI. 10. multum huc conferat, absque omni etiam injuria avari atheorum numero inseruntur. Avarus enim pro Deo nummum colit velut luxuriosus ventrem gulamque curat. Hinc D. Bohuslaus Hassensteinus (i) Nullum scelus tam tetrum atque detestabile esse dicit, ad quod non immoderata pecuniæ cupiditas impellat. Quod forte Platonem movit, ut in excessu judicaret, neminem simul divitem & probum esse posse. Rabbini hoc uti dicuntur proverbio: Qui dicit quod meum est,

(b) Lib. de Superstit.

(i) Lib. de avarit. p. 29. ed. prag. 1763.

est, tuum est, & quod tuum est tuum sit, pius est; qui vero dicit: quod tuum est, meum est, & quod meum est, meum sit, impius est. (k) Reliquas atheismi practici species enumerare jam superfedo, cum cuilibet praesertim Christiano per se content.

§. X. Considerata jam prima impietatis parte, quae Deum non recte agnoscit, ad alterum ejus genus, quod in malo ac perverso divinitatis cultu versatur, nobis progrediendum est. Circa Numinis vero cultum duplici ratione peccatur, & in defectu & in excessu. In defectu peccant omnes, qui nullum plane venerantur Deum, & referri possunt ad Atheismum; nec non, qui illicitis aut inconvenientibus rebus Deum colunt, & *κακοζήλοι* (vocantur: Item qui creaturam suspiciunt & divino honore afficiunt, & proinde Idololatrae audiunt: Denique qui mancum aut mutilum Deo tribuunt cultum, quique ideo haeretici dicuntur.

§. XI. Sed quaeritur, num etiam circa cultum divinum in Excessu possimus delinquere? Et respondemus affirmative. Quamvis enim Deum ens summe perfectum honore naturam ipsius decente prosequi te neamus, natura autem ejus tam perfecta sit, ut nos cultum illi adaequatum praestare nunquam in hac mortalitate ne dum excedere in illo possimus; Tamen si cultum pro timore ac reverentia accipiamus, manifestum est, excessum hic a multis fieri. Ex nimio enim & excessivo Dei timore aut reverentia oritur servilis numinis metus, qui ab aliis superstitio vocatur.

§. XII. Illustris Baro de Vertulamio brevissime describit hoc vitium dicens: *superstitio divinitatis est decus*

(k) V. Paul, Fagii sent. Hebr. c. 8.

*deus (l) Quod verissime sane est dictum. Veluti Theophrastus, αμελει η δεσπομονια δοξειν εινα δειλια προς το δαιμονιον. (m) Metuit enim Deos superstitiosus (ut cum Plutarcho loquar) & ad eosdem confugit, adulatur iis & maledicit, invocat & incusat. Quapropter peior est superstitio ipso atheismo. Laudatus Verulam. (n) prestare dicit, nullam aut incertam de Deo habere opinionem, quam contumeliosam & Deo indignam. Ipse Plutarchus (o) atheos feliciores praedicat superstitiosis, inquit: Athei omnino nullum agnoscunt numen, hi Deos esse censent, illi negligunt: Hi terribile opinantur, quod benignum est, quod paternum est ac tutelarem curam gerit ac sincerum est, tyrannicum, damnosum & saevum existimant. Praeterea Atheismus (ut Illustr. Baconis verbis utar) non prorsus convellit dictamina sensus, non affectus naturales, leges cet. At superstitio haec omnia dejicit. Atheismus turbas in rebus publicis raro ciet, homines enim cautos reddit & securitati suae consulentes. At superstitio compluribus regnis & rebus publicis ruinae fuit. Denique cum omnium in hominibus malorum finis sit mors, superstitio tamen morte non finitur, probante id ipsum pluribus Plutarcho. Quapropter in summo certe impietatis gradu constituti sunt superstitiosi. Licet enim secundum externam conversationem interdum pii videantur, licet etiam Deum adorent, sacris venerentur & ad templa adsideant, tamen hoc non satis est ad pietatem indicandam. Nam Tyrannos quoque (ut egregie Plutarchus ait) coli videmus & salvari iisque aureas statuas poni ab iis qui tacite eos oderunt & execrantur. Sunt igitur superstitiosi qui in rebus publicis nihil per-*

(l) Serm. Fid. p. m. 80.

(m) Notat. mor. c. 17.

(n) loc. cit.

(o) lib. de Superstit.



perfitiosi ex eorum numero, quos Apostolus speciem pietatis habere dicit, virtutem autem ejus abnegare 2. Tim. III, 5. Et hæc simulata sanctitas duplex est iniquitas, ut alicubi loquitur Hieronymus.

CAP. II.

ΑΠΟΔΕΙΚΤΙΚΟΝ.

Seu quo

Variis argumentis probatur impietatem magnum esse sapientiæ impedimentum.

SVMMARIA.

<i>Transitio ad cap. hoc secundum §. I.</i>	<i>Argum. V. a Vanitate eruditionis in impio §. VIII.</i>
<i>Philosophia cum Medicina comparatur §. II.</i>	<i>Argum. VI. a contrario, pietate scilicet &amp; Numinis cultu rerum omnium principio constituendo. §. IX.</i>
<i>Argum. I. contra impietatem in philosoph. ab ipso philosophia vocabulo. §. III. IV.</i>	<i>Argum. parallelum illustrans contra impietatem ex Scriptura §. X.</i>
<i>Argum. II. a genere philosophia §. V.</i>	
<i>Argum. III. ab Objecto philosophia §. VI.</i>	
<i>Argum. IV. a fine philosophia §. VII.</i>	

§. I.

**E**xplicato jam secundum omnes partes impietatis vocabulo, ad probandam ipsam thesin aut argumentum de quo præfens dissertatio agit, progrediendum est. Hic enim optimus, meo judicio, materiam aliquam pertractandi modus est, ut proposita thesis primo explicetur, deinde probetur. Quæ methodus ob evidentiam ac perspicuitatem suam Mathematicorum

B

rum

rum propria est, qui posito aliquo theoremate vel problemate id primum explicant, postea ἀποδείξει seu probationem subjungunt.

§. II. Philosophia ad animum se habeat, uti Medicina ad corpus. Ita Seneca egregie sane objectum philosophiæ cum Medicina comparat, nec immerito: Quemadmodum enim Medicus finis sui non potest fieri particeps, nisi omnia sanitatis impedimenta prius removerit; pari modo philosophus sine suo vera felicitate ac sapientia potiri nequit, nisi antea omnes pravitates & præsertim impietatem animo suo expulerit. Unde recte a Cicerone Philosophia animi cultura & medicina vocatur, quæ extrahit vitia radicitus animisque hominum medetur. (a)

§. III. Quodsi autem vitia & præsertim impietas animo extracta non fuerit, liquido patet, nullos aut saltem exiguos in studio studioque philosophiæ facere nos posse progressus. Philosophus enim debet esse φιλος της σοφιας, sapientiæ studiosus, seu cui quotidie nova sapientiæ incrementa capienda sunt. Atqui sapientia nostra absque pietate nulla, aut vana & stulta est, testante id ipsum Augustino inter omnes fere Patres φιλοσοφωτατω, quando dicit, (b) sapientiam nostram in pietate unice consistere. Et Georgius Pafor Vir, uti doctissimus, ita pientissimus (c) ita quærit: *Quænam est vera sapientia? Et respondet, ut nimirum agnoscamus Deum & nos ipsos, & ut Deum agnitiu recte colamus.* Ipse Aristoteles fatetur, (d) την σοφίαν esse την επιστημην ημιωτατων; Quid autem est ημιωτατων aut præstantius

(a) Lib. 2. Tusc. quæst.

(b) In Enchirid. suo.

(c) In præf. Lexico suo N. T. græco præmissâ quam de Vera Juvent. instituit. infribit.

(d) Lib. VI. Ethic. Nicom. c. 7.

stantius cognitione & cultu veri Dei, seu, quod idem est, pietate? Huc procul dubio insignis quidam Ecclesiæ nostræ Theologus (e) respexit, quando pietatem primam & summam sapientiam virtutumque omnium reliquarum reginam & matrem appellavit. Eodem sensu Palingenius Poeta egregius (f) virtutem hanc primam, primam sapientiam, item januam ad reliquas virtutes vocat, ita canens:

Prima est virtus, prima est sapientia, regem  
Cœlicolum patremque hominum cognoscere, amare,  
Sinceroque animo laudare, timere, precari.  
Hoc sine virtutes alias nihil esse putato;  
Hoc vero solum pene est satis. Ergo teneto  
Corde ac mente Deum s. p. & s. p. ore vocato,  
Hac pietate potest tibi nil contingere majus,  
Hæc ad virtutes alias est janua. Quippe  
Divino nequeunt proxsus sine numine haberi  
Virtutes aliæ & nequeunt vitia ipsa caveri.

Consentit cum hisce omnibus Siracides (g) Ethicus elegantissimus, dicendo:  $\sigma\phi\omega\iota\varsigma$   $\sigma\phi\omega\iota\varsigma$   $\phi\omega\beta\theta\iota$   $\kappa\upsilon\epsilon\iota\varsigma$  corona sapientiæ est timor Domini, & (h)  $\rho\iota\zeta\alpha$   $\sigma\phi\omega\iota\varsigma$   $\phi\omega\beta\theta\iota$   $\sigma\tau\omega\iota\varsigma$  Radix sapientiæ est timere Deum: Nec non Psalmista regius (i)  $\text{רִשִׁית הַחֵמָה יְרַחֵם יְהוָה}$  Principium sapientiæ timor Domini. Ad quæ verba eleganter B. Joh. Arndius (k) commentatur: Die Furcht des Herrn ist der Weisheit Anfang / sagt der III. Psalm. Ergo, So ist die Gottlosigkeit der Thorheit und Blindheit Anfang.

§. IV. Nec dissentit auctor libri sapientiæ, libri

B 2

(e) B. Chytraeus Reg. Vit. p. m. 38.

(f) Zod. vit. p. m. 231.

(g) c. 1. v. 13.

(h) ibid. v. 20.

(i) Ps. CXL. 10.

(k) lib. 1. de vero Christianismo. cap. 39.

vere philosophici, quando dicit (l) *Εἰς κακότεχνον ψυχὴν  
 οὐκ εἰσέρχεται σοφία*, In Impiam, vel uti Tremellius, mali-  
 tiosam animam non ingreditur sapientia. Vbi per κακο-  
 τέχνην ψυχὴν, non aliud quam mens impia intelligi pot-  
 est; Qui enim est κακόντεχος, artibus aut rebus malis  
 deditus, germ. Von allerhand bösen Räncken / pii no-  
 mine haud erit insigniendus. Quapropter verissimum  
 manet, veram sapientiam in pietate non impietate aut  
 pravis mundi cupiditatibus consistere. Egregie hanc  
 in rem celebris quidam Anglus scribit: (m) Dit is de  
 rechte Wysheid, niet vvys ende ervaaren te zyn in  
 Goodloosheidt ende vvereltsche ydelheeden; maer  
 vvys te zyn ter Saaligheydt.

§. V. Et quomodo genuinus esset philosophus,  
 qui ore aut factis impietatem profitetur? Philosophia  
 enim est cognitio seu notitia & quidem evidens ac cla-  
 ra; ab evidentia namque omnis scientiæ nostræ cer-  
 titudo pendet. Hujus autem cum causa sit Deus, fons  
 & auctor omnis rationis, omnisque in ea claræ ac di-  
 stinctæ perceptionis, constat, nihil sciri recte in philo-  
 sophia posse, quamdiu Deus ignoratur, aut inimicus  
 & implacatus habetur. (n) Deinde philosophia non est  
 talis scientia, quæ in nuda & otiosa solummodo rerum  
 omnium theoria versatur, in eaque acquiescit, sed ef-  
 ficax hæc requiritur notitia, qua mens etiam hominis  
 virtutum praxi occupata ita disponitur, ut felicitatis  
 veræ summique boni, quod philosophia intendit reve-  
 ra etiam sit particeps. (o) Quid enim prodest scientia  
 pietat-

(l) cap. i. v. 4.

(m) John. Denison in libro qui lingua Belgica vocatur *drievoudige resolutie seer  
 nochtwendig ter Saaligheidt* p. 48.

(n) Vid. D. Schweling. *Disp. de certit. phys. princip.* in fall. Brem. 1689. §. VIII.

(o) V. Budd. *Philos. instr.* c. I. §. 3.

pietatis expertus? Est omnino vel vilissimus agricola, sed  
 qui Deum colat, anteposendus superbo philosopho, qui  
 se ipso neglecto cœli cursum considerat. (p) Bene Ci-  
 cero (q) sapientia, dicit, *ars ut vendi putanda est, que  
 ideo expetitur, quod aliquid efficiat.* Probante id Dioge-  
 ne philosopho Cynico, qui dicenti cuidam, idoneus ad  
 philosophiam non sum, quid ergo, inquit, vivis, si  
 ut bene vivas, nulla tibi cura est? (r) Unde Aristoteles  
 (s), *οὐ τὸ εἰδόμενόν ἐστιν ἡ ἀρετὴ ἀλλὰ τὸ ποιεῖν, ἀλλὰ τὸ ἀγαθὸν γέ-  
 νομεθα.* Non querimus, ut sciamus quid sit virtus, sed ut  
 boni efficiamur. Quomodo ergo Impietas & vera sa-  
 pientia in subiecto aliquo consistent? Cum philoso-  
 phia non sit nuda & impia inutilium terminorum co-  
 gnitio, sed ars vitæ; (t) materque & bene factorum  
 & bene dictorum. (u) Impossibile profecto est, im-  
 pium & simul *σοφὸν* esse. Vera enim sapientia in assi-  
 duo virtutum exercitio consistit; Jam autem veræ vir-  
 tutes nisi in eis, quibus vera inest pietas, esse non pos-  
 sunt. (x) Et sine pietate etiam quod virtus videtur esse,  
 se, peccatum est. (y) Maxime, cum Ciceronis iudicio  
 pietas fundamentum sit virtutum omnium, cui vir-  
 tutes reliquæ omnes conjunctæ sunt.

§. VI. Sane cum philosophia sit *γνώσις θεῶν καὶ  
 ἀνθρώπων πραγμάτων* rerum divinarum humanarumque  
 cognitio (z) per se liquet, impietatem gravissime cum  
 objecto veræ sapientiæ pugnare. Nam per *τὴν θεῶν  
 Deum ipse ejusque attributa*, nec non res ab ipso con-  
 ditæ

(p) Thom. a Kempis de Im. Christ. l. I. c. 24. (q) l. i. de Finibus. (r) l. i. de Finibus. (s) l. i. de Finibus. (t) l. i. de Finibus. (u) l. i. de Finibus. (x) l. i. de Finibus. (y) l. i. de Finibus. (z) l. i. de Finibus.

ditæ intelliguntur. Impietas autem Deum cum attributis & operibus suis vel plane inficiatur, vel creaturam Deum facit, aut si hæc effugiat, tamen non agnoscit eum, ut ens summe perfectum, sed imperfectum potius reddit, demendo vel tribuendo aliquid ejus naturæ, quod minus conveniebat, vid. §. IV. cap. præced. Præterea cum cultus etiam Dei, quatenus ex naturæ lumine cognosci potest, per τὰ θεὰ hic intelligatur, facillime sequitur, impios, & divino verique numinis cultui adversos, nullos aut vanos in sapientiæ studio facere posse progressus. Quandoquidem etiam τὰν ἀνθρώπων sive, quod idem est, humanarum actionum (hoc enim τὰ ἀνθρώπων notant) scientia pertinet ad philosophiam, haud difficulter cognoscitur, magnum sapientiæ impedimentum ex ignorantia aut neglectu istarum in philosopho oriri. Studiosus namq; sapientiæ actiones suas recte & rationi convenienter tam erga Deum & proximum suum, quam erga se ipsum instituire, adeoque pie erga Deum, se ipsum aliosque vivere tenetur, nisi turpiter a sapientiæ ac veritatis tramite deflectere velit. Etenim impietas vitiaque ex ea propullulantia movent affectus, qui intellectui affundunt cœcitatem & tenebras, faciuntque, quo minus is lucem cernat veritatis. Constans quippe semper sapientum hæc fuit regula: Non posse quem recte sapere, qui vitiis horumque affectibus abstinere nesciat. Hinc posita in philosopho impietate, ponuntur vitia plurima & pene omnia (mater enim est impietas omnis sceleris) positis vitiis, affectus turbantur, intellectus obtenebratur, ipsaque adeo sapientia haud parum impeditur. Recte Cicero Philosophos Magistros virtutis



tis nominat (a) qui non modo rerum omnium naturam causasque norunt, sed omnem quoque bene vivendi rationem tenent ac perfequuntur. (b)

§. VII. Non autem satis est, impietatem obiecto veræ sapientiæ obesse, sed ipsum etiam philosophiæ finem impedit. Philosophia enim veræ felicitatis acquisitionem ac conservationem intendit (c); hæcque felicitas vel summa est & æterna vel subordinata & temporalis; Illa in celestis hæreditatis possessione, hæc in perfecta Dei, sui ipsius, ac reliquarum sub obiecto philosophiæ contentarum rerum nec non promanante hinc animi vitæque externæ tranquillitate consistit. Atqui impietas non felices non beatos, sed infelices miserosque homines reddit. Nihil enim est, quod tam miseros faciat, quam impietas & scelus. (d) Vnde recte Archytas Tarentinus dixit *αει κακοδαιμονων αναγκαι τον κακον*. Vid. Laert in Fragm. ejus. Impedit impietas non solum æternam beatitudinem, quod cuilibet facile patet, sed terrenam & temporalem quoque felicitatem turbat. Neglecta enim Dei ac sui ipsius cognitione, quæ mentis in homine potest esse tranquillitas, quæ vitæ securitas? Sane impietas sanctique Numinis contemptus Deum ex hominum societate propellit, qui fons unicus est, a quo omnis securitas totiusque civitatis bonum expectandum venit. (e) Nisi vera pietate mens imbuta sit, neque in familia, neque in civitate feliciter quis vivet. Imo ipsæ leges non valebunt adversus impium ac sceleratum. Pietas enim & religio juxta Politicorum senten-

(a) lib. V. Quæst. Tusc.

(b) De Orat.

(c) Vid. Budd. Phil. Instr. c. I. §. 7.

(d) Cic. l. 4. de fin.

(e) Vid. D. Schyveling. Polit. §. 275.

tentiam penetrare dicuntur, quo leges non penetrant.  
Quæ ratio est, quod pietas inter causas amplificantes  
ac conservantes, impietas autem inter morbos & ever-  
siones rerum publicarum recenseri solet. (f) Accedit  
quod beatitudinis humanæ principium, causa & norma  
sit cognitio rerum divinarum ac præstantissimam  
rum (g) quam tamen vehementer ab impietate im-  
pediri §. VI. vidimus. *§. VIII.* Atque ita impietatem maximum esse in  
philosopho impedimentum, ex ipsa philosophiæ natu-  
ra ac definitione vidimus: Ulterius id cognoscemus, si  
nullam veram cum impietate consistere posse eruditionem  
ostendero. Scilicet eruditus est is, qui e rudi-  
tatu in meliorem operi doctrinæ est transpositus, ut  
ideo mens ejus ab ingenita ipsi ignorantia purganda &  
ad veram sapientiam adipiscendam habilis reddenda sit.  
Quomodo autem absque Dei gratia & auxilio hæc  
fient? Cum sine favore Numinis nullos plane succes-  
sus vel in minimo negotio promittere sibi quis possit;  
Quomodo autem favorem Numinis sibi promittet, si  
istud non colat pieque vivat? (h) Taceo impietatem  
purgandæ mentis loco innumeris potius eam replere  
vitiis Vid. præc. §. VI. quæ ad veram eruditionem hau-  
riendam maxime ineptam eandem reddunt, ut proinde  
ex vero judicaverit Doctiss. Buddæus (i) nullam veram  
sine pietate esse posse eruditionem.  
§. IX. Et quis dubitaret de veritate hujus asser-  
tionis, cum ut eruditio, ita omnia incepta nostra abs-  
que pietate infustum fortiantur exitum? Primum enim

(f) V. G. Schönborn. Polit. L. VII. c. 7. & 27.

(g) V. Diog. Laert. in Fragm. Theag. Pyth.

(h) V. Buddæi phil. pract. p. 602.

(i) Phil. in tram. p. 137. ad. G. b. v.



non minus quam verum sapientum est effatum, a Deo & divinis capienda esse rerum primordia. Id quod non profani modo asserunt scriptores, dum bene ac sapienter a majoribus institutum ferunt, ut rerum agendarum initium a precationibus caperetur, quod nihil rite nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope auxilio honore auspicarentur (k); Verum ipse etiam Spiritus S. affirmat τὴν εὐσεβείαν πάντων ἀφ' ἑμοῦ εἶναι, pietatem ad omnia esse utilem (l). Equidem ad turpia atque illicita perpetranda εὐσεβεία potius facit quam εὐσεβεία; ad honesta tamen ac laudabilia exsequenda non nisi pietas feriusque numinis cultus requiritur. Quemadmodum autem ad omnia bona perficienda, ita præsertim ad majora, graviora ac diviniore rite promovenda pietate indigemus. Omnium enim rerum magnarum teste Cicerone (m) a Diis immortalibus principia ducuntur. Et Pythagoras tum maxime & pietatem & religionem versari debere in animis, dixit, cum rebus divinis operam daremus (n). At quid majus aut divinius est philosophia? Qua optabilius aut præstantius pene nullum neque datum est mortalium generi, neque dabitur bonum (o) quæ mater omnium optimarum artium, donumque & inventum Deorum audit (p). Quapropter pietas veræ sapientiæ studioso summe necessaria est, contra impietas maximum in via philosophica affert impedimentum, ut hinc optimo jure acroateriis nostris philosophicis inscribere queamus Virgilianum illud (q).

— Procul hinc procul este profani.

(k) C. Plin. in Paneg. Trajan.

(l) Cic. 1. 2. de leg.

(m) Lib. VI. Æneid.

(n) Id. de Univ. cit.

(o) Orat. in Vatin.

(p) Id. Quæst. Tusc.

§. X. Concludo hoc caput dicto aliquo scripturæ, ad ostendendum ipsum Spiritus S. cum allatis consensum. Paulus vir divino spiritu actus, inquit, (r) *Εξ ουδενος τα μυστηρια παντα και πιστευω την γωσιν ουδενην δε εν εξω υδεν ουκ, si scirem omnia mysteria & omnem scientiam caritatem autem non habeam, nihil sum.* Et licet aliquis impius ad magnam in philosophia pertingere posset scientiam, tamen apparenter saltem, superficialiter, imo falso sapiens existimandus est. Scientia enim absque vero Dei timore est *φρονημα της ουκ εστι.* (s) Pie satis ac sapienter Kempfius dicit (t): *si scires omnium philosophorum dicta, quid totum prodesset sine caritate Dei & gratia? Vanitas vanitatum & omnia vanitas præter amare Deum & illi soli seruire.*

CAP. III.

ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑΤΙΚΟΝ

Seu quo

Hactenus dicta exemplis aliquot illustrantur.

SVMMMARIA.

<i>Pauci fuerunt omnes experies impietatis philosophi §. I.</i>	<i>prioris philosophia causa fuit. §. V. VI.</i>
<i>Causa, quare veteres non fuerint probe philosophari §. II.</i>	<i>Exempla quadam eorum, quibus præter meritum impietates nota inuitur §. VII. VIII.</i>
<i>Exempla eorum, quos impietas sua vera sapientia privauit §. III. IV.</i>	<i>Conclusio huius capitis ac totius Disputationis. §. IX.</i>

§. I.

**E**X his itaque quæ de Impietate, velut magno in philosopho veræ sapientiæ impedimento hactenus pro-

(r) I. Cor. XIII. 2.

(s) Rom. VIII. 7.

(t) De imit. Christi. l. 1. c. 1.

profatus sum, facile dignosci posse arbitror, quinam veri & *ῥητοῖ* fuerint philosophi. Paucos autem eorum praesertim inter veteres, utpote gentiles fuisse, qui omnis impietatis expertes rite fuerint philosophati, videbimus. *Multum* enim, uti recte B. Gerhardus (a) dicit, *ubique scientiae, conscientiae parum*: Ut hinc suo jam tempore sic questus sit Cicero: (b) *Quotusquisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet?*

§. II. Si quis igitur causam ejus, quare adeo exiguus piorum inter veteres philosophorum detur numerus, inquirere velit, deprehendet, plerosque gentilium tantis de falso ethnicorum *παραθρησκια* erroribus a teneris ita esse imbutos, ut vix ac ne vix quidem veritatem cognoscere ipsis licuerit. Alii, qui verum quidem Deum agnoscebant, metu populi ac poculi Socratici mentem suam aliis exprimere, nedum cultum vero Deo proprium praestare audebant. Praeterea plurimorum virtutes malo nitebantur fundamento *κακοδοξια* & malorum omnium radice *φιλαυτια* (c) quod Cicero in allato testimonio confirmat, disciplinam eorum ostentationem scientiae vocans, quapropter & pietatis limites quam maxime transgrediebantur. Accedit defectus verbi divini, quod tamen, cum inter nos hodie per Dei gratiam vigeat, haud exiguum in philosophando adminiculum nobis afferre potest. Audiemus de his pro more, i. e. erudite differentem Geulingium, qui causam ejus, quod ethnici sive gentiles acribus & acutis licet instructi fuerint oculis, tamen ob-

C 2

tuse

(a) Dedic. Meditat. Sacrar.

(b) Lib. II. Tusc. Quæst.

(c) V. B. Gerh. Dedic. Med. Sacr.

tuse plurima viderint, hanc esse dicit, quod perspicillo suo caruerint verbo sc. divino. Verba ejus hæc sunt: (d) *Verbum Dei est mihi tubus Batavicus, quæ & ope ejus vidi & non nisi ope ejus vidissem, etiam eo jefposito aliquatenus video: Imo quædam talia satis inposterum video sine tubo & tam perfecte, ac si illo instructus essem. Acribus & acutis gentilium oculis non antefero meos: obtusus illi quidem viderunt; sed perspicillo meo caruerunt.*

§. III. Quod si autem veritas hujus theses adhuc dubia cuidam videtur, intueatur Exempla Veterum, quorum Impietas causa corruptæ philosophiæ fuit. Et quidem primo Carthaginenses quod attinet, illi maxime impii fuere, quando Critia vel Diagora ad condendâs leges adhibito nullum esse Deum, nullum genium decreverunt. (e) De Sabæis Arabiæ philosophis idem prorsus mihi dicendum. Constat enim hos populos nonnisi idolorum cultui ritibusque idololatricis operam dedisse, unde doctrina eorum teste Buddeo (f) in plerisque capitibus erronea fuit. Et si credendum est Juvenali canenti, (g)

— *Quis nescit qualia demens*

*Ægyptus portenta colat Crocodilon adorat,*  
iplos etiam Ægyptios, licet alias ingeniosissimas gentes, impietatis crimine infectos esse, affirmarem.

§. IV. Quid de Philosophia Poetarum sit statuum, impia eorum de sancto numine monstrant decreta: dum juxta Ciceronem (h) ira inflammatos & libidine furentes induxerunt Deos, feceruntque, ut eorum

(d) Præf. Ethic.

(e) Plut. lib. de superstit.

(f) Philos. Instrum. p. 24.

(g) Lib. V. Satyr. XV.

(h) l. 1, de N. D.

eorum bella, pugnas, prælia videremus. Quæ sine  
 dubio fuit ratio Pasorem movens, ut ita scriberet: (j)  
*Homerus, Hesiodus, Pindarus & reliqui fabulatores, quia*  
*illi ignorarunt verum Deum, non potuerunt vera dicere*  
*de hoc uno & solo vero Deo. Et profecto eo impietatis*  
*ac dementiae processerunt, ut talia de numine comminise-*  
*rentur peccata, quæ coram juventute recensere me pudet.*  
 Græcos quod attinet philosophos, plurimi inter eos  
 impie ac minus sapienter & docuerunt & vixerunt.  
 Anaximenes æra Deum esse statuit, eumque gigni  
 cet. In secta Cyrenaica Theodorus *αδελφός* dictus est,  
 quod omnes de Diis opiniones tolleret, præterea ho-  
 minem sapientem furta, adulteria & sacrilegia posse com-  
 mittere, idque natura non esse turpe doceret. Hu-  
 jus discipulus & sectator Bion adhuc pejor tam doctri-  
 na quam vita fuit. Non solum enim dixit *ἦναι ἄδεν ἐν αἰ-*  
*σούτως*, sed insuper etiam in omni vitiorum maxime stu-  
 prorum & horrendæ scortationis cœno se volvit, te-  
 stante id ipsum satis Laertio. (k) Dicebat alias hic Bion,  
 superbiam & fastum esse *περὸς τοῦ εὐνοῦ*, profectus im-  
 pedimentum; Vtinam idem de impietate sensisset, sic  
 melius esset philosophatus. In primis propria est E-  
 leaticæ sectæ impietas, dum pleriq; huic addicti athe-  
 orum castra secuti sunt, & eadem fere quæ superiori  
 sec. Benedictus rectius maledictus de Spinoza in sce-  
 nam revocavit, docuerunt. (l) Id quod ex Leucippi &  
 Democriti impiis de creatione hujus universi placitis  
 liquet. Præsertim Protagoræ *σοφία* cognominati ex-  
 emplum id probat, qui quodam in loco in hunc coepit  
 modum: *Πῶρα θεῶν καὶ ἄνθρωπων εἶδεν αἰετὸς ὡς εἶσαν αἰθ' ὡς καὶ εἶσαν.* (m)

C 3

De

(j) In præf. Lex. N. T. græc.  
 (l) V. Budd. phil. instr. p. 64.

(k) In vita ejus.  
 (m) V. Laert. in vit. ejus.

*De diis non habeo scientiam neque an sint, nec ne.* En  
σοφικῶς rectius ἰσοδιῶς Protagoræ!

§. V. Cum contraria juxta se posita magis eluce-  
scant, exempla etiam quorundam piorum in er veteres  
philosophorum contemplabimur, qui ob majorem im-  
pietatis fugam plus quam alii in sapientiæ studio pro-  
fecerunt. Ac primo quidem ab Orpheo antiquissimo  
philosophorum ordimur. Ejus autem pietas, si cum  
aliorum gentilium vita comparetur, illustris fane fuit.  
Non enim ipse modo innocentia vitæ insignis fuit, sed  
alios etiam præsertim Thraces gentem indomitam  
suavitate eloquentiæ, comitate morum, æquitate & uti-  
litate legum ab agresti feraque vita ad meliorem discipli-  
nam adduxit. Vnde sacer interpretsque Deorum vo-  
catur ab Horatio (n).

*Sylvestres homines sacer interpretsque Deorum*

*Cædibus & fero victu deterruit Orpheus*

*Dictus ob id lenire tigres rabidosque leones.*

Quod forte ansam dedit Bacono (o) ut labores Orphei  
sapientiæ opera vocaret, & Celeb. Petr. Dan Huetio, ut  
Orpheo suo veteres Mosen ejusque facta adumbrare  
voluisse putet. (p) Plura de hoc egregio viro suppedi-  
tant Olav Borrichius in Dissertat. Academicis de Poe-  
tis, item Epigenes Eschenbachii de Poesi Orphica, nec  
non observationes Halenses Tom. VI. p. 26. Pergimus  
etiam ad philosophos majorum nostrorum Druidas, vi-  
ros pietate suis temporibus maxime conspicuos, utpote  
de quibus ipse Laertius (q) testatur *Δρυϊδας ἀπὸ Θηγγό-  
μενης φιλοσοφῶσι σεβειν θεῶν· καὶ μὴδεν κακὸν εἶραν, Druides  
philosophatos per sententias, Deum colendum, nihilque mali fa-  
ciendum*

(n) De art. Poet.

(o) lib. de Sap. Vet. c. 14.

(p) Decm. Evang. prop. IV. c. 8.

(q) Praef. Histor. Philos.

ciendum esse. O egregiam hanc philosophiam! O præclaram pietatem! Quæ Deum colendum nihilque mali faciendum docet. Eodem modo philosophia Scytharum erat comparata, ut Lud. Vives (r) dicat, fuisse id genus hominum simplex, justum, vitiorum & malitiæ ignarum, nactum ingenio naturali, quod græci illustribus & magnificis quæstionibus nequiverunt. Vnde tamen non sequitur, Græcos plane pietati & vitæ inculpatae non dedisse operam; Vel enim illustre Socratis exemplum id ipsum evincit. Quippe secundum sententiam Celeb. Buddei (s) tota Socratis vita nihil aliud fuit, quam continentia, moderationis, patientia, temperantia & modestia exemplum. Ipse enim propter pietatem in Deum ad durissimam paupertatem redactus est, & propterea vitam quoque tandem amisit. Ut oraculum idcirco dixerit, Socratem esse *ανδρα παντων σοφωτατον.*

§. VI. In primis Pythagoras ejusque discipuli philosophiam pietate sua reddidere perfectiorem. Vt enim ipse vir fuit integerrimus, innocentissimusque, ita pietatis ac virtutis studio suos imbuere primum ac præcipuum sapientia caput duxit. Reliqua si taceam, ex hoc pietas ejus elucet, quando primo hoc usus est dogmate: *Deum immortalem cole.* Deinde cum finem hominis ultimum dixit esse *ομοιωση τῷ θεῷ*, ut Deo similis fieret: (t) In quo ipsum Christianismum consistere inquit Basilius ita quærens: (u) *τι ἐστὶ χριστιανισμος; θεῷ ομοιωσις*: Consistente Augustino, quando summam religionis Christianæ esse, imitari eum, quem colis, judicat. (x) Sectatores ejus præcipue Archytas Tarentinus, Hippo-

(r) Ad August. l. 8. de C. D.  
 (s) Budd. in phil. infr. p. 37.  
 (x) L. II. de C. D. c. 17.

(t) Phil. infr. p. 43.  
 (u) Hom. X. Hexæm.

Hippodamus, Euryphamus & Clinias pietatis Pythagoricæ maxime æmuli fuere. Quod ipsum ex hujus (Cliniæ) effato patet, quando timorem Dei a teneris addiscendum docet, si enim omne factum humanum totamque vitam sanctitatis ac pietatis participem futuram esse. Nec obstat pietati Pythagoræ dogma transmigrationis animarum, quod ejus scholæ fuit commune. Prout enim omnia Pythagoras hieroglyphice intellexit, ita etiam hanc suam *αρετην συζωνον* de similitudine morum intellexisse cum Venerab. Philologo nostro Illustris hujus JVLIIÆ equidem arbitror. Ut proinde hæc ejus fuerit sententia: Bonum ac probum hominem sua conversatione ac moribus alios probos, malum autem malos esse redditurum, qui eo mortuo animam aut imaginem illius quasi gerere videantur. De Ciceronis pietate egregiisque in philosophia profectibus non est quod multa addam, siquidem omnia ejus scripta pietatem philosopho dignissimam testantur. Ut hinc forte adductus Baierus quidam eum Theologum fecerit in disputatione cui tit. Cicero Theologus, (γ) ubi plura pietatis Tullianæ monumenta legi possunt.

§. VII. Illud autem præterire nequeo, multos egregios viros a malevolis quibusdam præter meritum impietatis crimine notatos esse. Ipsi id contigit Aristoteli & Cartesio clarissimo philosophorum pari, maxime Epicuro. De Aristotele inquit Vir alioqui bonus Georgius Pasor (z) *eum nihil de pietate commemorare.* Quod tamen, licet nihil de pietate commemoraret, nondum evinceret, eum ideo non coluisse hanc

(γ) Habita Jenæ a. 1700. sub Præf. D. Treueri.  
 (z) In præf. Lex. N. T. gr.





virtutem; Pari ratione, si quis doctrinam suam publicis scriptis ac speciminibus dignoscendam non proponeret, inde tamen non sequeretur, eum rudem esse & indoctum. Et sane plura hic philosophus de pietate tradidisset, nisi Plato ante eum jam satis id negotii præstitisset. Deinde, licet in Ethicis directe hanc virtutem non tractet, tamen passim aliquam ejus mentionem facit. Egregie namque dicit, (a) neminem esse, qui honorem Diis immortalibus dignum tribuere possit; sed qui eos pro viribus & facultate colat, eum probum & pium esse putandum. Optimum item hominis felicissimumque statum eum esse dicit, in quo *ἰσὺν θεῶν ἡμεῖς ἔχουσιν, Deum libere colere & spectare possent.* (c) Imo tantopere hic ab impietate fuit remotus, ut de quæstione, num Deum oporteat colere, nec ne, disputare sub pœna prohibuerit. (d) Et quis negaverit Aristotelem in libris deperditis, qui plurimi sunt, ulteriorem pietatis tractationem suscepisse? *ἢ οὐκ ἔστιν ἔτι*  
§. VIII. Cartesium quod attinet, illi propterea præsertim impietatis nota iniusta est, quod ut de omnibus sic de ipsa etiam Dei existentia dubitaret. Quod tamen crimen libenter ab ipso removebunt, qui animo recto & præjudicis vacuo Meditationes ipsius legerint. Insignis enim hic philosophus primo non dubitat de Deo quatenus Christianus seu quoad voluntatem, hoc enim impium esset, sed quatenus sapientiæ ac veritatis naturalis studiosus: Atque hæc dubitatio Cartesio nihil aliud notat, quam quæstionem de existentia Dei, velut patet ex ejus epistolis (e). Deinde non dubitat more Scepticorum ut dubitet, sed ut veritatem hujus rei & ipse investiget, & contra Atheos Scepticosque infallibiter demonstret. Id  
IMVTD  
quod

(a) I. 8. Ethic. c. 14.

(b) I. 10. Ethic. c. 8.

(c) Lib. 7. Eudem. c. 14. in fin.

(d) L. 1. Top. c. XI.

(e) Tom. II. ep. 10. aliisque.

quod præclare sane egit; tam in ipsis Meditationibus,  
quam responsionibus ad objectiones hæc factas. De Epi-  
curo dicitur, eum hominem fuisse a Jov, qui carnis volu-  
ptates mundique illecebras Deum sibi constituerit. *Ve-  
rum ut videtur, inquit illustr. Verulamius, (f) Minus  
joste arguitur: Verba enim ejus sunt egregia & divina;  
Non deos vulgi negare profanum, sed vulgi opiniones Diis  
applicare profanum.* Ego potius eum præstantissimis  
pietate philosophis annumerarem, qui, quod mirandum,  
peculiarem de pietate adversus Deos librum conscri-  
psit. Vnicum adhuc recentioris ævi exemplum addo,  
ex quo Scholasticorum ruditas & Pontificiorum intem-  
pestivus zelus patet. Aventinus refert (g) Virgilium  
Episcopum Juvanensem, qui Divus habebatur hærese-  
os & impietatis damnatum sacerdotio & Ecclesia pul-  
sum esse, eo quod philosophus esset & Antipodes esse  
doceret, habentes nobis adversa vestigia, rem suo ævo  
ridiculam & incredibilem. O impios pietatis & verita-  
tis philosophicæ oppressores! o detestandam malitiam!  
§. IX. Finem hujus capitis ac totius Disputationis  
facio aureis Thomæ Kempisii (h) verbis, quibus omnem  
Dissertationis hujus ambitum complectitur, fontemque  
erroris in sapientiæ studio impietatem summiq; Numi-  
nis neglectum esse testatur. Sic autem ille: *Quia ple-  
rique magis scire quam bene vivere student, efficitur ut ple-  
rumque errent, & pene nullum aut certe exiguum fructum  
ferant. Qui si vitam scientiæ suæ consentaneam egissent, fe-  
liciter literis operam dedissent. Quam multi vana scientia  
pereunt in hoc seculo, quia Dei cultum parum curant.  
Vere & bene doctus est qui Dei voluntatem ex-  
sequitur, relinquitque suam.*

TANTVM!

S. D. G. I.

(f) Serm. fid. p. m. 77. (g) Lib. a. Annal. Bojor. (h) Lib. c. 3. de Imit. Christi.

*Handwritten signature or mark.*

17.






Helmsstedt, Diss., 1704-05

ULB Halle 3  
005 356 741







B.I.G.

Farbkarte #13



PHILOSOPHICA  
E

1705, 5

TATE  
SAPIEN-  
DIMENTO

14

AM

annuente

IA JULIA

IDE

ET. KOCH

OG. PROF. P. O.

um disquisitioni

II MDCCV.

MAJORI

iet

ESPONDENS

HIMVS KoNIG

noveranus.

TADII

Hammii, Acad. Typogr.

